

46




F. H. 146

EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

III A 146, —

VITEBERG.

SIGNAT. clbccccxiii.




MICHAELIS VIR-
DVNGI FRANCI,
SAVL TRAGOE.
DIA NOVA:

Ex 1. lib. Reg. cap. 28. 31.

AD AMPLISSIMOS ET
PRVDENTISSIMOS VIROS,
COSS. ET SENATVM
REIPVB. KITTIN-
GENSIS.



JENAE,
Typis Tobia Steinmanni.
ANNO MDLXCV.



DE AVCTORIS
NOMINE ANAGR.

MICHAELIVS VIRDVNGVS.
SI ANGELVS HIC DVVMVIR.


VÆ stribligo tibi: tibi vq; sartago loquendi; (erit.
ANGELVS HIC SI post paullo DVVMVIR
Tu quoq; barbaries metuas tibi: comparat ille
Fulminea in vestram tela, manusq; necem.
Acer, ô! in turmas quanto ruet impete vestras;
Consilium primum sit, celerare fugam.
Ne mundo opprobrium, ne ludibriumq; iuventæ
Site, agite, ô cursus accelerate! venit.

Bernhardus Prætorius, Iessurg.
Chat. Poeta L.

In ejusdem Saul Tragediam.

S Aule sub infandæ viviscens tormine mortis;
En nova supplicio vita parata tuo est:
Atra Megæra feris semper vallata colubris
Pullulat Orcivis poena si rempse animis:
Sævitiæ vitæ oblectet res una; quod isto
Ornatu superis conspiciendus ades.

Caspar Bonifacius Vinariensis
Tyrigeta.





A M P L I S S I M I S E T
P R V D E N T I S S I M I S V I R I S,
C O S S. A C S E N A T V I K I T T I N -
gensi, Dn. & patronis suis colendis,

S. P. D.

Michael Virdungus.



*T*RAGOEDIAM HIS DIE-
BUS SCRIBERE ADORNABAM,
Viri Amplissimi; facta est Tragoe-
diola. Incredibile est, quantum in
ea re spem meam eventus fefellerit. Ansatus
& subnixis alis me primulum inferebam,
sperabamque magnificè me posse in cothur-
nis ambulare: cum vix per veterum vestigia
longissimo intervallo serpendi fuit potestas.
Quid multa? Ratio me fugisse visa est, cum
illam rem aggredi ausus. Rem profectò
seriosam, argumento eximiam, tractatu ar-
duam. Quid gravius aut grandius Tra.

A a goedia

PRÆFATIO.

gœdia possit cogitari? Heic homines multis imaginibus tumosi, multi famulitii strepitu jactabundi introducuntur non soluti in jocos nugas agentes, sed jam admoti ad extrema de salute, deque vitâ ipsâ jam jam amittenda periclitantes. Heic principum aulas, heic regum conditionem & interiorem vitam, heic tyrannorum foedos exitus aliquis mihi contempletur. Quodcunque deniq; grande, memorabile, diritate atrox, scelere infandum, apud magnos magnum perpetratum facinus per terrarum orbem famâ celebratur; ejus causas rimatur Tragoedia, progressus narrat, totam denique rei scenam illuminat. Accedunt phrasæ & verba ubique lecta. Sententiæ acutæ, sed viriles, quæ non excitent solum lectorem, sed percutiant. Horum ut aliquid ritè exsequerer, annè mihi contigit? Quin immò me me piget pudetque, sicubi, quam impar fuerim oneri suscepto, recogito: præstiteritque sanè, meâ sententiâ, in profluentem chartam abjicere, ut laxas scombris sæpè daret tunicas, quàm campse, ut publici juris fieret, permittere.

PRAEFATIO.

tere. Quoniam tamen ut ederem, perpu-
lerunt amici, vobis illā dicendam censui, V.
A. qui nostræ civitatis senatores estis Iure
bono. Vos enim habeo velut **LARES** ac
DIOS tutelares ejus loci, ubi vagii, ubi pri-
mitus cœlum ac lucem hausi. Quod si hoc
quicquid est, vobis non omninò displicuisse
animadvertero; fortasse an post deinde, fa-
vente Deo, plura dederò, ac moneta meliore
cusa. Valete, Viri amplissimi, ac studium
vobis gratificandi boni consulite.



A 3 SAVL



S A V L, T R A G O E D I A
N O V A, E X I. L I B. R E G.

C A P. 28. 31.

I N T E R L O C U T O R E S.

A L A S T O R.

S A M V E L.

C H O R V S.

S E R V V S.

S A V L.

I O N A T H A N.

D O E G.

N V N C I V S.

S A G A.

D A V I D.

A C T V S P R I M V S.

A L A S T O R.

Trimetri, Iambici: ut in omnibus scenis,
exceptis Choris.



*Omnes Megara Alastor inuisi hor-
rida
Proles Averni, flebili sede excitus
Adsum, tenebris efferens dirū caput.
Internecino gentis humana furens
Odio Deiq, callidis hominem dolis
Svasi, ut nefandus iussa migraret Dei,*

Audaxq,

S A V L.

Audaxq; gustum sumeret vetita dapi,
 Cum iam daretur noxium Diti caput,
 Mortis ligandus æviterna compede:
 Misertus ejus ni Deus casum, sua
 Radiasset ipsum gratia lumine,
 Eumq; quam me noxium aspexet magis.
 Immane bacchans ergo, vasana tumens
 Furibundus ira volito, jam jam gestiens
 Miscere cuncta, rapere in exitium omnia:
 Acheronte in imo mene diras pendere
 Pœnas catenis alligatum flammæis:
 Cum interibi lapsus particeps homo mei
 Evadat impune: & repositus astricâ
 Sublimè sede de super latus mea
 Supplicia spectet, tristia, ignota, effera?
 Meis sui securus insultans malis?
 Hoc me perurit, hocq; suffigit novos
 Stimulos dolori, non perire jam abnuo,
 Hominem perire cupio sed mecum simul.
 Me in omne quare verto, quidvis contrahor
 Tento omnia, in casses meos ut induam,
 Erebiq; eumpse flebili mergam lacu.
 Et modo verendos Angeli vultus gerens,
 Mentis aciem stingvo sereno fulgure:

A 4.

Modo

TRAGEDIA,

Modo sacra volpes cor ovium mentiens,
 Do verba bardis, fallo simplices dolis.
 Atrox furenti grassor interdum impete,
 Et feror, in arva qualis insano gradu
 Stimulante savus rapitur esurie leo:
 Nihilq; tuti patior, intacti nihil.
 Quod nisi potens me premeret adversarius,
 Fortesq; turmas militum aligerum objiciens
 Ab homine pestem luctuosam pelleret:
 Cinefactus ille dudum opimâ divitem
 Maest esset Orcum prada; & omnis perierit
 Nunc haec meis feram impeditam retibus
 (Is sceptrâ Saulus gentis Hebraea tenens
 Olim Deum reliquit, atq; ipsum Deus)
 Jugulabo & atra muneri mittam Stygi.
 Perduellis olim noxio pepercerat,
 Servârat & de prada, inobsequens Deo;
 Et ad omne postilla nefas pessumdatus,
 Certavit omne in facinus, & pensi nihil
 Duxit. pio tetendit insidias David,
 Et metere ferro aggressus est innoxium,
 Ejusq; causâ luce viduavit Deo
 Sacrata capita, olim, sacerdotes pios.
 Nunc quo feratur, quidve moliri pareat.

Novi

S A V I.

Novi. magorum pestilens genus suo
 Exegit olim regno, & exitio dedit,
 Ferroq; fatuos pessimam abolevit luem.
 Re creperâ, & armis nunc petitus exteris,
 Mutis Prophetis, conitante oraculo,
 Instantis ipsum curâ prælii coquit,
 Scelerum suorum pœnam adesse pertimet,
 Adire secum Psychias agitat anus,
 Belli metuti exhinc ut eventum hauriat,
 Quasq; istud exequatur en jam disputat.
 Perge agè, scelus sceleribus hoc addas tuis,
 Pœnasq; cumula. mecum eris brevi scio.
 Fac cur adhuc te vivere æquius feram.



CHORVS.

Choriambici, Sapphici, & in fine Iambici.

Cur res sorte regi, cur temerè omnia
 Volvi secta Epicuri autumat impij?
 Cur Fortuna potens, cur variabilis
 Interdum querulis dicitur, insciis
 Quod res anteeat seua necessitas,
 Quod fati tabulis cuncta adamantinis

AS

Sint

TRAGOEDIA,

Sint incisa, geri quo ordine debeant.
Nulla est RESPICIENS, nulla Quiritibus
Inter fictitios culta Deos HERA.

Non belli tumidas intonat hac minas:

Non terra graviter viscera concutit:

Non dirâ populos hac jugulat fame,

Multa aut peste hominum millia demetit:

Sunt hac somnia, sunt affania mera,

Quae de sorte ferunt cumq; homines, nihil

Est quæ scilicet, aut si nihilo est minus.

Quicquid hoc savis tumuit procellis
Næusfragum vitæ pelagus, quod usquam
Turbidè turbavit, id omne celso

Venit Olympo.

Quid juvat vanos iterare luctus?

Quid dare insanis animum querellis?

Cuncta si nobis peperere homullis

Aspera Divi?

Non nostrum patitur scelus

Sævo parcere fulmini,

Qui mundum sonitu quatit:

Non nostra hoc pietas meret,

Vt nosmet foveat sinu,

Qui dat premia justis.

Sed

S A V L.

Sed mihi recurset cura, & animum vellicat,
 Quid magnus orbis Architectus nunc pareat?
 Quid machinetur? quasve paruriat vices?
 Animosos muros castra Phanicum premunt.
 Fit fuga per agros, magna pernicies adest,
 Prasaga si mens verax; instant vulnera,
 Fuga atq; cades, flamma: Di fallant metum.
 Sed ecce regna opima Iudae obtinens
 Comitatus exit Saulus armigero foras.



ACTVS II.

S A V L: D O E G.

P Auet animus, horret, pectus aestu vapulat,
 Salit cor intus, membra quassantur metu:
 Vix ipse oculus, vix adhuc credo meis.
 Campos repletos undiq; hostili grege
 Vidi, atq; montes fulgere armis aureis,
 Non tot locustas prata quondam Aegyptia
 Populasse, & obtexisse terram credimus;
 Non numerum arena tantum in arenis maris
 Iacere littore: praquam inundavit solum
 Grex hostium infinitus, innumerabilis.

TRAGŌDIA

Quo pondus istud verget? ubi ponet minas?
Vbi se iste fluctus frangat? exitium prope est.

D O. Omen sinistrum summus avertat Deus:

Est tibi iuventus flore pollens, inclusa

Virtute, bellicusq; spectata artibus,

Viriq; damno saepe cogniti hostibus,

Quis iste se novus tibi insinuat pavor?

Quid te metu perterret, aut tibi te excutit?

Non hostis idem est, saepe quem revicimus?

Licet omne secum Syria robur trahant,

Licet astra passim ferro & hastis territent:

Nil multitudo, nil tamen numerus valet,

Si nulla virtus, nulla inest audacia,

Si robore caret peectus. hos metuis viros,

Quos unus olim Jonathan gnatus tuus

Adortus uno cum armite in jugam dedit?

Qui terga vulnere ulcerosa gestitant,

Talo fuga tumente, mente sunt pigra,

Ignava, inerte, exosse dextra pradii.

S A. Res alia nunc est alia, quam fuit prius.

Quondam meis à partibus stabat Deus:

Facile erat illo me adjuvante vincere:

Nunc ille me relinquit. abicit, dejuvat:

Tacent Prophetae, muta sunt oracula,

Nil

S A V I

Nil somnia monent, stimulat animus conscius,
Scelerumq; pœnam adesse præfagit mihi,

Toties nocens sum factus, na nuper manum
Sanguine Sacerdotum, administro te, imbui.

D O. Et gloriari fas mihi est, & non negem,

Me jussa regis exsecutum gnauiter.

Non hos nocentes, parricidas, perfidos,

Socios Davidis adjuvas acerrum os

Infecta regis ira jure plecteret?

S A. Speciosa sunt hæc dictu: at aliter nunc
Vastata conscientia mens dicat. (mibi)

D O. Licetne nostra sensa mentis proloqui,

Tua haud minore, quam prius, cum gratia?

S A. Exprope quidvis, gratia haud cedit loco.

D O. Quando igitur huius cura te belli comest,

Nostriq;, ut inquis, uatibus lingua excidit,

Nec somnia ulla de futuro præmonent:

Ne dubius animi pendens diutius,

Magica per nos suadeam artis consulas

Super hoc àuello. S A. sancta me pietas vetat.

D O. Pietatem ubiq; colere regium haud reor.

S A. Regum alma pietas maximum tutamen est.

D O. Ferrum tuetur principē. S A. Pium Deus,

D O. Iusticia, uirtus, sanctitas, pietas, fides,

PRIVATA

TRAGOEDIA,

Privata bona sunt: quã iuvat reges eant.

S. A. Agè ergo telam quomodo ordimur rei?

Novere cuncti, quam siem infestus magis,

Exempla quaq; quondam in ipsos statuerim.

DO. Habet hic in Endor saga primi nominis,

Pollensq; functos excitare mortuos,

Et res futuras entheata farier:

Hanc veste mutatã ipse furtim accesseris.

S. A. Placet istud, itaq; iam stat extemplo exsequi.

Remeemus intro, ut hoc cita effectum ducim.

CHORVS.

Qvis dignè mala delictet
Qua mortalibus expetunt,

Non. Fari invidia mali,

Fortuna aut vitio levis:

Sed quacunq; sibi suis

Moris moribus acciunt,

Qua quisq; ingenio suo

Cudit fata sibi faber.

Post quando exitio gravi

Merferunt caput obtutum:

TURC

S A V L.

Tunc questus miserosciant,
 Et Divum reboant fidem:
 Quam debent animo improbo
 Sortem & moribus hispidis,
 Acceptam superis ferunt.
 Non tandem sapiens homo?
 Nec qua profuerint nihil,
 Nec qua damnifica expetes?
 Cur sic ambitio impotens
 Temet precipitem rapit?
 Cur regno levis immines?
 Cur inter crocitas aves,
 Aula qua intima pervolant?
 Cur spectas oculo invidio
 Alter qua bona possidet?
 Cur pellacia subdola
 Te blandita pecunia
 Ad sese lacit, in mali
 Et casses miserum induit?
 O si tanta hominem urgeat
 Munus cura suum exsequi,
 Quanto estu mala quarit at
 Quaeq; ipsum nihil adtinent:
 Non sortis varias vices
 Sentiret, neq; vapules

Sub

TRAGOEDIA,

Sub lusca imperio Dea.
Quin tuto posisus loco,
Et facti crepera altior
Aurâ, nil nimis horreat
sortis precipites minas.



ACTVS TERTIVS.

SAGA: SAVL.

Que causa nostrum adire te impellis larem?
SAVL. Venio profectus huc tuam ex poscēs
Nam te sepulchralis magistrum nobilem (opem:
Ajunt susurri, manuum sede excitos
Posse evocare cantione mortuos:
Potesse caelum trahere te aggressam Deos,
Aequare montes cantu, & in planum dare:
Durare fontes: amnis agilis imperus
Inhibere, & undas ad caput retrò dare.
Tuog, turbam squam meam cantamine
Tractam latebris advenire & cantibus
Domitam stupere, posse traductam tuis
Messum illecebris transmeare quò voles.
Tuisq, mundum tremere pavidum vocibus.

NUNC

S A V L.

Nunc te oro supplex sacra per silentia
Hecatae triformis, per tenebrarum chaos,
Adversa superis regna, manesq; inferos,
Dominumq; regni tristis, ut me exaudias,
Animamq; quam volā, excitam heic sistas mihi.

SAG. Cur me, ecce, captans callidos neētis dolos?
Nescisne tu quid fecerit Saulus magis?

S AVL. Testem Iehovam laudo, mulier, nil tibi
Hoc obfuturum. SAG. Quem tibi vis excitem?

S AVL. Samuelis animam nuper ad plures dati.

SAGA. Absiste paulum, dum, q; oras, ex patro

S AVL. Ecce ocquiniscens effodit terrā scrobem,
Fevale murmur cantat, invocat Deos

Manes, quid hoc est? exilit subito & tremat.

SAGA. Cur me fefellisti? es ipse Saul pessimus.

S AV. Ne metue mulier. Sed quid attonita vides?

SAGA. Tellure rupta emergier similem Deo.

S AVL. Quae forma? SAG. Palliatus huc gra-
ditur senex.

S AVL. Est ipse Samuel, pronū venerabor virum.

SAMVEL: SAVL: SAGA.

Quid poela post lethaea me in lucem evocas?

Quid me inq;etas? S AV. Fluctuat animus nimis,

B

Mentem

TRAGOEDIA,

Mentem angor exest, cura cor lapit mihi?

Petière bello me Philistaei gravi;

Recessit à me Iova, nil per somnia,

Nec per Prophetas de futuro pramonet.

Iussi citari te igitur, ut me gnarum

Faceres, quid usus jam mihi factus foret.

SAM. Audi ergo, sicut tute desertor Deum

Olim fuisti, quemq; debueras neci

Hostem dedisse parsti, inobsequens Deo:

Condignè & ille te reliquit, ac tibi

Ablata sceptrum, & inclutum regni decus

Dauidi & omni stemmati Iesse dedit.

Nunc haec manent te fata, luce crastini

Ab hoste funeratus in peculio

Numerabere Orci, cumq; filiis tuis

Memet videbis, quin & Israel tuum

Ob crimen hosti praeda, supplicium luet,

SAGA. Cecidit humi perrectus hac Res audiens,

Et ora morti similis obduxit color.

Adtolle vultus Domine, luci reddere:

Tua en tenet te serua.

S A V L: S E R V V S.

Qvis me dièi reddit? ingentem integrat

Qvis

Quis mihi pavorem? quam bene excideram
mihi?

Prò sortem acerbam! prò gravem casum meum!

Noctem erimus unam saltem adhuc superstites,
Memetq; crastinus dies letho dabit.

O acta vita! o perpetrata crimina!

Nunquam mihi Iehova propitiabitur

Sat scio, sub Orco flebiles pœnas luam.

Actum est: perimus: occidi aeternum: ilicet.

SER. Ne te metu, rex, verba vatis compleant

Vsq; adeo, & iste temet externet pavor.

Si fata sic stant fixa, si sic calitum

Urget voluntas, hostibus succumbier

Vt sit necessum; more pugnando virum

Efflemus animas ergo fortes, ignei,

Hosti incruenta ne sit hac victoria,

Neu more pecudum ferro inultos demetant.

Sed tu ominare melius: haud dum victor est

Hostis, futura nocte subruit Deus,

Sapè exitusq; vatis arguit fidem.

Quid contrahis animum? quid abjectus jaces?

Quid patere vinci te antequam hostis vicerit?

Fortuna fortes metuit: animos advoca

TRAGŌEDIA,

Tuos vetustos, robur innatum exsere,
 Nunc te virum, nunc te proba imperterritum.
 SA. Non tantus unquam me timor circumsternit,
 Non si revulso Iuppiter mundo tonet,
 Non si ruina montium me verberent,
 Tantum paverem. stupeo & exsanguis tremo,
 Cum verba vatis ruminō, & tristes minas.
 O quis procella turbine insana vehens
 Volucer per auras ventus aethereas aget,
 Meq̄, imminenti eripiet exitio illico:
 Quae me tenebra, quae satis me tartari
 Nox alta condas; iram ut effugiam Dei?
 SE. R. Si pectore nequit excuti attonito pavor,
 Saltem ora fingas: militi omnis mens cadet,
 Si te timore pallidum cernet ducem.
 SA. Non facile clepere se potest ingens pavor.
 Finge ora: prodet ipsa simulatio metum.
 SE. R. Quid sit timendum, si tibi perstas vides.
 Sed introeamus, aliquid ut sumas cibi:
 Nam totius perfers die jejunium.

CHORVS.

CREdat hoc quisquam? Pius ille quondam, &
 A Deo lectus populo regundo

Saulus

S A V L.

Saulus, infandos abolere ferro
 Carminis sœvetus magici magistros,
 Fœminam accessit stygio embeata
 Pectus afflatu, creperum undè belli
 Sciret eventum nimium metuti.
 Hostium infelix capiti sit omen;
 Sed metus certè est, populumq; & ipsum
 Istius pœnam sceleris daturus.
 Sape ob unius furias, & atram
 Crimini noxam, populusq;, & omnis
 Civitas pœnae fuit, imò tota
 Flebili mersa est regio ruinâ.
 si fretum vento tumuit tacente,
 Spontè & irati fremuere fluctus;
 Querquerus nautis quatit horror artus,
 Frigidus sudor fluit, atra oberrat
 Lurida mortis oculis imago;
 spurca tempestas oriens procellis
 Surgit, immensasq; ruit profundi
 Sede mox ima violenter undas:
 Sic ubi cæcis animum tenebris
 Obsitum laevi stimulant furores:
 Sæviente obnupta caput procellâ
 Mox atrox fortuna cies duellum,

B


3

Cuncta

TRAGEDIA,

Cuncta permiscetq; fero tumultu,

Omnia vertit.



ACTVS IV.

IONATHAN: NVNCIVS.

R Emordet animum cura, pectus aestuat:
Quantâ duelli mole, quanto exercitu,
Quantâq; multitudine premimur hostium?
Armis petiti sapè & antea sumus,
Pejore sed nunquam loco res constitit:
Nunquam aequè inertes fuimus aut elangvidi,
Virtus refrixit nostra, robur flaccuit,
Dextræq; iausu marcuerè desides.
Tum noster autem genitor animum expectorat
Mibi, Iehova qui sibi implacabiles
Ascivit iras sceleribus nocens suis.
Quin ceu priorum pœniteret facinorum,
Atrox adhuc nefandus accudit nefas.
Prò sancta pietas! hoc meus fecit parens,
Vt iussa sic divina calcaret pede,

EE

S A V L.

Et stygium adiret aucupans oraculum?
 Non fama populi; non eum sui pudor,
 Gravis minantis ira non movit Dei?
 NVN. Sate rege, dum tu longius neētis moras,
 Terisq; tempus, tota nudatis stetit
 Acies in armis, ara certamen cient,
 Et rapidâ ovantes cæde jam properant viri.
 Vide ut atra nubes pulvere obtexat diem,
 Densaq; turpis æthra stet caligine!
 Perge, & citato properus advola gradu,
 Obire partes ut datas possis tibi.

S A V L: D O E G.

Cessere retrò nostri, & aversi fugam
 Petiere, turmatim hostis at contra ingruit,
 Premor sagittis undiq;, effugium patet
 Nullum. tuâ, ô fidelis armiger, mihi
 Nunc est manus usus: stringe vagina citò
 Dereptum, & in me protinus ferrum exige:
 Subduce me vivum hostium ludibriis.
 Quid nunc moraris? pavida quid tremuit mâu?
 Haud est locus more, haud datur cessatio.
 Etiamne dubitas? incubandus est mihi

B 4

Nunc

TRAGŌDIA,

Nunc ensis iste. ō mors veni, ac me visita,
Vita ex legatum memet advenam accipe.
D O. Iaces peremptus? jam tuum exemplum
sequar,
Transverberatus ense spiritum exsuam.

CHORVS.

Q Vos nunc Atque furores
Funesta cudit? ecquid
Nunc fata moliantur
Mutationis? ecquid
Nunc hauriet cruoris,
Avideq; pascet oculos
Incendio oppidorum
Cruenta vastitatis
Bellona machinatrix?
Iam saepe monstruosas
Præseculit figuras
Facies nitentis aethrae.
Rubere luctuosi
Crines feri cometae:
Cælo trabes flagrant
Apparere, & ingens

Sire-

S A V L.

strepitus virorum, & armis

Aër tumultuosus

Homines stupore fixit.

Guttisq; sanguinavit

Coma arborum cruentis:

Fontes prius vomentes,

Argentum liquorem,

Rebulliere sangven:

Novisq; fœta monstribus,

sonuit fragore tellus,

Tremuitq; quassa magno

Penitissimè tumultu:

Dubiasq; belluarum

Hominum deditq; formas.


Quid ergò quid sequetur?

Sua quis expiabit

Ostenta tui ruinâ?

Capiti hostium sit omne,

Quod calites minantur.



B S

ACTVS



ACTUS V.

NVNCIVS: DAVID.

Perière cuncta, concidit regni status:
Fugère nostri: clade funestâ jacens
Obtexit agros miles, hausit hosticus
Panè ensis omnes: ipse Saul cum filijs
Gelboë monte corpus exanimum jacet.
D A. Unde ista nosti? nam quis edictat tibi?
Unde huc anhelus ducis? NV. Ipse è pratio
Fugiens, citato memet adtuli gradu,
Ut hac tibi portans nova huc obnunciem.
Superante namq; ut hoste memet in fugam
Penetro, perq; Gelboë cursu feror:
Cum morte luètantem indidem Saul incido:
Hastam incubabat latere defixam sibi.
Quis sim requirit, utq; morte subtraham
Vrgentium rogar hostium ludibrijs:
Feci, atq; bracchii indidem armillam decus,
Capitisq; ab ipso regium insigne abstuli,

Tibiq;

S A V L.

Tibiq; tetuli: namq; saulex vulnere
Haud esse posse videram superstitem.

D A. Occidimus: heu quæ verba tu mihi ob-
strepis?

Sic omnis ergo sicnè jaçta est alea?

Tu verò quis homo es? N V. Advena sum filius
Amalecita. D A. Tunc sceleratum caput

Tuo ausus es regi manum admolirier,

Christo Iehovæ? huc satellites proinus

Accede, & Orco parricidam mitto,


Regem dedisse se neci fassum suum.

Sic quisquis audebit profanam olim manum

Imbuere domini cæde supplicium luat.

F I N I S.





NE SEQVENTIA VA-
CARENT, PAR AENESIN HANC
ad Ordines Germania subjunximus.


ODE ALCAICA.

CVrrus Gradivi in sanguine fervidos
Vidi natantes, credite posteri;
Mortemq; circa sanguinantem
Funereis volitare pennis.
Eheu! recenti mens quatitur metu,
Plenoq; Martis pectore turbidum
Lymphatur! eheu, saeva quantum
Terribili intonuit flagello
Bellona memet! en litui strepunt!
Letata cerno en corpora! quippè jam
Utrinque fervet pugna, utrinque
Mors celeres quatit uda pennas;
Auditis? an vos exitiabilis
Urget sepultos somnus, & exsult
Sensu malorum, montiumq;
Exitii super imminentum?
Te pople prisco nate Thuiscone,
Te clamo te jam, vos ego publicæ

Navis

Navis gubernaculum tenentes,
Teutoniæ proceres vetustæ:
An non videtis, queis tenebris polus
Siet, utq; nubes condiderit diem;
Quamq; atra tempestas ab ortu
Vastitiem mediteatur agris,
Vestrisq; stragem dira penatibus!
Cessatis! en mox impluet hoc malum
Vobis remissis jure, vobis
Occidione ferens ruinam?
Ah! ah vetus Germania, Principes
Ah! ah vetusti, vos Caroli ignei,
Vos pectore invictoq; Othones,
Quidnam animi fore vos putandū est,
Si tot procellis verberitarier,
Insanientis tot pelagi minis
Navem allatrari sentiatis,
Flamine prosperiore vectam,
Vobis ut olim tuta regentibus,
Plenâ secabat æquora carbaso;
Monstrisq; calcatis marinis:
Nil rabiem metuebat, Euri?

F I N I S.



Aug III A 146

(1)

ULB Halle


3

003 568 199



Sb.

Z



A




Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



Handwritten text on the left edge of the manuscript page, including fragments like 'C', 'D', 'E', 'I', 'D', and 'A'.

Handwritten text on the right edge of the manuscript page, including fragments like 'T', 'S', and 'I'.

